



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XLIX. De desiderio æternæ vitæ, & quanta sint certantibus bona
promissa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

dio, atque talium imagines mecum ad domum reporto. Sed beatus ille homo, qui propter te Domine, omnibus creaturis licentiam abeundi tribuit: qui naturæ vim facit, & concupiscentias carnis feruore spiritus crucifigit: vt serenata conscientia, puram tibi orationem offerat, dignusque sit angelicis interesse choris, omnibus terrenis foris & intus exclusis. Matth. 19.

CAP. XLIX.

De desiderio æternæ vitæ, & quanta sint certantibus bona promissa.

FILI, cùm tibi desiderium æternæ beatitudinis desuper infundis, & de tabernaculo corporis exire concupiscis, vt claritatem meam sine vicissitudinis vmbra contemplari possis: dilata cor tuum, & omni desiderio hanc sanctam inspirationem suscipe. Redde amplissimas supernæ bonitati gratias, quæ tecum sic dignanter agit, clementer visitat, ardentem excitat,

cit,

citat, potenter subleuat, ne proprio pondere ad terrena labaris. Neque enim hoc cogitatu tuo aut conatu accipis, sed sola dignatione supernæ gratiæ & diuini ad spectus: quatenus in virtutibus & maiori humilitate proficias, & ad futura certamina te præpares, mihi que toto cordis affectu adhærere, ac feruenti voluntate studeas deseruire.

2 Fili, sæpè ignis ardet, sed sine fumo flamma non ascendit. Sic & aliquorum desideria ad cælestia flagrant, & tamen à tentatione carnalis affectus liberi non sunt. Idcirco nec omnino purè pro honore Dei agunt, quod tam desideranter ab eo petunt. Tale est & tuum sæpè desiderium, quod insinuasti fore tam importunum. Non enim est hoc purum & perfectum, quod propria commoditate est infectum.

3 Pete, non quod tibi est delectabile & commodum, sed quod mihi est acceptabile atque honorificum: quia si rectè iudicas, meam ordinationem, tuo desiderio & omni desiderato, præferre debes ac sequi. Noui desiderium
tuum,

tuum, & frequentes gemitus audiui. Iam velles esse in libertate gloriæ filiorum Dei: iam te delectat domus æterna & cælestis patria gaudio plena, sed nondum venit hora ista: sed est *Iob 7.* adhuc aliud tempus, scilicet tempus belli, tempus laboris & probationis. Optas summo repleti bono, sed non potes hoc assequi modò. Ego sum: expecta me (dicit Dominus) donec veniat regnum Dei.

4 Probandus es adhuc in terris, & in multis exercitandus. Consolatio tibi interdum dabitur, sed copiosa satietas non concedetur. Confortare igitur, & *Iosue 1.* esto robustus, tam in agendo quàm in patiendò naturæ contraria. Oportet te *Eph. 4.* nouum induere hominem, & in alterum virum mutari. Oportet te sæpè agere, quod non vis: & quod vis, oportet relinquere. Quod aliis placet, processum habebit: quod tibi placet, vltra non proficiet. Quod alij dicunt, audietur: quod tu dicis, pro nihilo computabitur. Petent alij, & accipient; tu petes, nec impetrabis.

5 Erunt alij magni in ore hominum,
de te

de te autem tacebitur. Aliis hoc vel illud committetur, tu autem ad nihil vtile iudicaberis. Propter hoc natura quandoque contristabitur, & magnum, si filens portaueris. In his & similibus multis, probari solet fidelis Domini seruus: qualiter se abnegare, & in omnibus frangere quierit. Vix est aliquid tale, in quo tantumdem mori indiges, sicut videre & pati, quæ voluntati tuæ aduersa sunt: maximè autem, cùm disconuenientia, & quæ minùs vtilia tibi apparent, fieri iubentur. Et quia non audes resistere altiori potestati, sub dominio constitutus: ideò durum tibi videtur, ad nutum alterius ambulare, & omne proprium sentire, omittere.

6 Sed pensa fili, horum fructum laborum, celerem finem, atque præmium nimis magnum: & non habebis inde grauamen, sed fortissimum patientiæ tuæ solamen. Nam & pro modica hac voluntate, quam nunc sponte deseris, habebis semper voluntatem tuam in cælis. Ibi quippe inuenies omne, quod volueris: omne,
quod

quod desiderare poteris. Ibi aderit tibi totius facultas boni, sine timore amittendi. Ibi voluntas tua vna semper tecum, nil cupiet extraneum vel priuatum. Ibi nullus resistet tibi, nemo de te conqueretur, nemo impediet, nihil obuiabit: sed cuncta desiderata simul erunt presentia, totumque affectum tuum reficient, & adimplebunt usque ad summum. Ibi reddam gloriam, pro contumelia perpeffa: pallium laudis, pro mœrore: pro loco nouissimo, sedem regni in secula. Ibi apparebit fructus obedientiæ, gaudebit labor pœnitentiæ, & humilis subiectio coronabitur gloriosè.

7 Nunc ergo inclina te humiliter, sub omnium manibus: nec sit tibi curæ, quis hoc dixerit vel iusserit. Sed hoc magnoperè curato, vt siue prælatus, seu iunior, aut æqualis, aliquid à te exposcerit vel innuerit, pro bono totum accipias, & sincera voluntate studeas adimplere. Quærat alius hoc, alius illud: gloriatur ille in illo, & iste in isto, laudeturque millies mille: tu autem nec in isto, nec in illo, sed in tui ipsius gaude contemptu, & in

K

mei

mei solius beneplacito ac honore. Hoc optandum est tibi, vt siue per vitam, siue per mortem, Deus semper in te glorificetur.

CAP. L.

Qualiter homo desolatus, se debet in manus Dei offerre.

IDOMINE Deus sancte Pater, sis nunc & in æternum benedictus: quia sicut vis, sic factum est: & quod facis, bonum est. Lætetur in te seruus tuus, non in se, nec in aliquo alio: quia tu solus lætitia vera, tu spes mea & corona mea, tu gaudium meum & honor meus, Domine. Quid habet
 I. Co. 4. seruus tuus, nisi quod à te accepit, etiam sine merito suo? Tua sunt omnia, quæ dedisti & quæ fecisti. Pauper sum, & in laboribus meis à iuuentute mea: & contristatur anima mea nonnumquam vsque ad lachrymas: quandoque etiam conturbatur ad se, propter imminentes passiones.

Psal. 87

2 Desidero pacis gaudium, pacem filiorum tuorum flagito, qui in lumine consolationis à te pascuntur. Si
 das